



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 122. Synodus Diöcesana Antverpiensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. ut a Celebrante ad Aram converso videri possent: graviter quoque invehitur Synodus in detestandum abusum in hanc diæcesin introductum, quo plurimum puerorum confessiones simul excipiebantur, Parochos autem admonet, ne sint difficiles in concedenda suis subditis facultate, ut alteri Sacerdoti approbato etiam in Paschate confiteantur. Inter casus Episcopo reservatos comprehendit hunc, si quæ prolem suam exponit in Hospitalibus vel alio loco: denique præscribit, quantam retributionem Parochi pro Ecclesiasticis Officiis jure petere valeant.

## §. CXXII.

*Synodus Diocesana Antverpiensis.*

*Concil.  
Germ. l. c.  
pag. 977.*

*lib. de dono  
Persev.  
cap. ult.*

Sequenti Mense Majo Joannes Miræus Antverpiensis Episcopus pariter Synodum habebat, in qua præter plura alia ad restaurandam Cleri sui disciplinam non minus proficua quam necessaria statuta Parochis commendatur frequens in doctrina Christiana institutio. Præcipit etiam Synodus, ut Laici minus docti cum hæreticis de fide non disputent, his vero importune instantibus respondeant, id sui non esse officii, sed ad Pastores & Doctores pertinere, ipsorum vero esse, monente D. Augustino, pro

pro illorum salute orare: pariter in eadem Synodo inhibendum, ne quis in præfata urbe & oppidis, Dominicis & festis diebus extra Ecclesiam Parochialem quocunque ex prætextu lingua vernacula concionetur, lingua vero peregrina non fiat concio ante horam decimam, quæ tamen ultra horam non protrahatur, gravissime insuper puniendos declarat Synodus, qui Cœnam Domini depingunt instar Cœnæ Calvinisticæ, scilicet, positis in lance panis frustis oblongis, aut ossis rubro vino tinctis: quoniam vero illo tempore passim ab Iconomachis plurima Tempora & Altaria fuerant profanata, conculcata & everfa, propterea omnes & præcipue eos, qui furore hæretico concitati ipsimet ejusmodi vastationibus operam aut ansam dederunt, ut ad festinam reparationem concurrant, hortabatur Synodus, ac per ædituum diebus festis & Dominicis eleemosynas colligi jubebat.

§. CXXIII.

*Synodus Augustana.*

Non minori Religionis ac reparandæ disciplinæ studio accensus Henricus a Knöringen Augustanus Episcopus die tertia Octobris Synodum Provinciam

Sæc. XVII.  
A. C. 1610.

Concil.  
Germ. t. 9.  
Kham Hier.  
Aug. p. 1.  
fest. 10, c. 6.

vinci-